

peregrinorum, & eorum, qui persecutioni erant expositi : quo sensu, qui erant de familia Stephanæ , se ordinasse dicuntur in ministerium sanctis 1. Cor. 16. 15. quamvis negari non possit , hanc ordinationem simul explicari & de promptitudine & alacritate ad prædicationem Evangelii : erant enim *eo tempore pauci* , qui Evangelium prædicare volebant , metuentes scil. persecutions.

§. 3. Hæ acceptancees non sunt hujus loci : sed minister Ecclesiæ hoc loco sumitur pro persona , quæ legitime à Deo vocata & ordinata est , ut in Ecclesia publice doceat verbum , Sacra menta administret , peccata pœnitentibus remittat , im pœnitentibus retineat , aliasque actus sacros specialiores exerceat , ad hominum conversionem & salutem, ut & Dei gloriam propagandam. Ita hoc loco sumitur Ecclesiæ minister.

§. 4. Circa hunc ministrum consideranda veniunt quædam prærequisita , eaque vel *remotiora* vel *propinquiora*. *Remotiora* prærequisita sunt , quæ necessaria sunt futuro Ecclesiæ ministro , prius quam Studia Theologica adhuc tractet : talia sunt: (1) *pia & quasi à natura insita* inclinatio ad studium Theologicum & futurum officium Ecclesiasticum : (2) docilitas : (3) recta & bona intentio: (4) pietatis studium , quo spectat pia & devota oratio: (5) sedulitatis propositum.

§. 5. Quod primum attinet , nempe piam inclinacionem ad studium Theologicum & sacrum ministerium , ea , sicut à Deo ipso naturæ indita est; ita est quasi interior quædam vocatio ad ministerium , maxime si accedat motio , suasio & impulsus parentum , aut aliorum prudentiorum. Contra vero , ubi quis ex coactione , ad studium & officium sacrum se accingit , raro res bene ac feliciter procedit.

§. 6. Studio dico : *si accedat parentum , motio , suasio &c.* Deus enim cum liberis agit mediantibus parentibus. Si vero parentes pii & prudentes ob causas *pregnantes* judicant sati-